

*Guglielmo Ruffo presta a Pancrazio
di Vito certa somma di denaro*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Guglielmo Ruffo presta a Pancrazio
di Vito certa somma di denaro*

1328-08-24

In nomine Domini amen. Anno ab incarnatione eiusdem millesimo trecentesimo vigesimo octavo. Die vigesimo quarto mensis augusti, undecime inditionis apud Giracium. Regnante serenissimo domino nostro rege Ruberto, Dei gratia inclito Ierusalem, et Sicilie Rege, Ducatus Apulie, et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii, ac Pedemontis Comite. Regnorum suorum anno vigesimo feliciter amen.

Nos Ioannes de Thetis iudex civitate Giracii, Nicolaus Tropeanus regius publicus notarius per totum Iustitiariatum Calabrie per Curiam ordinatus, et testes subscripti ad hoc vocati specialiter, et rogati. Presenti scripto publico notum facimus et testamur, quod Prancatius de Vito habitator Bove presens Giracii et consentiens prius in nos prefatos iudicem tamquam in suum iudicem, cum ex certa sua scientia, sciret nos suum iudice mangifico viro Gulielmo Ruffo de Sinopolo militi, ducali cambellano, et familiari ibidem constituto, ac integre, et non future numerationis receptionis dicto de Vito recipienti sibi datas et solutas esse a predicto domino Guglielmo ibidem presenti in carolenis argenti liliatis iuxta ponderis sexaginta per uncias computatis, uncias octo exceptionis sibi non dicte, non solute, et non numerate pecunie dictus Pancratius omnino renuncians, quam quantitatem predicte pecunie uncias octo in eadem pecunia computatas ut supra dictus Pancratius promisit per se, suosque heredes dicto domino Guglielmo pro se, et suis heredibus stipulanti et recipienti solvere, ac restituere eidem domino Guglielmo, vel suis heredibus in predicta civitate Giracii per annum unum completum a predicto die vigesimo quarto dicti mensis augusti in antea continue computandos, et si

forte Pancratius predictus, vel sui heredes dicto loco et termino, dictam quantitatem pecunie in eadem pecunia compute ut supra non soluerit, et restituerit, et omnia, et singula in hoc predictum contenta non observaverit, promisit se obligando eidem domino Guglielmo solvere, atque dare duplum ipsius quantitatis pecunie poene nomine stipulatione in singulis capitulis huius contractus promissa, et totidiem Regie Curie persolvendam mihi predicto notario pro parte ipsius Curie stipulanti legitime poenam ipsam quam poenam dictus Pancratius totius a se, suisque heredibus et successoribus committi, et exigi voluit si contra predicta venire contingerit, vel aliquod predictorum per Iustitiarium Calabrie, vel capitaneus generalem, vel officialem alium, regium vel ducalem quem dictus Guglielmus, vel sui heredes maluerint eligendi, qui pro tempore fuerint summarie, et de plano, sine libelli oblatione, litis contestatione, strepitu et figura, iudicii appellatione aliqua, non obstante quoties contra prefata venire contigerit, vel aliquod predictorum nec non sub poena restitutionis damnorum, et expensarum, et interesse litis et extra que et quos dictus dominus Guglielmus et suis heredibus dictorum occasione sine causa fuerint, vel sustinuerint in iudicis, sive extra de quibus dictus Pancratius credi voluit simplici assertionis ipsius domini Guglielmi, suorumque heredum sine exactione et prestatione, at cuiuslibet sacramenti et ea poena soluta, vel non et semel, vel pluries in totum, vel in partem, vel gratiose remissa predicta omnia et singula, supra et infrascripta rata perpetuo maneant, atque firma. Pro quibus omnibus et firmiter observandis et inviolabiliter adimplendis, dictus Pancratius obligavit dicto domino Guglielmo omniam bona sua, que bona dictus Pancratius precario se ipsius

creditoris nomine, et pro eo possidere constituit, usque ad integram solutionem dicti debiti et satisfactionem omnium predictorum. Itaque si dictis loco et termino ei soluto facta non fuerint, licet eidem domino Guglielmo, et suis heredibus ex pacto propria auctoritate, et sine Curie proclamatione, aut aliqua denunciatione vel aliquo preiudicio, dictorum et quorum ex eis voluerit ingredi possessione, et accipere vendere, alienare, aliis obligare, et apud se pro iusto pretio retinere, et se indemnem servare tam de poena damnis et expensis, quam de sorte sine omni occasione legum iuris et usus renunciatis dictus Pancratius novis Constitutionibus Epistole Divi Adriani, beneficio acceptionis doli in factum, actum conductum, sine causa exceptioni sibi non date, non solute et nomine numerate dicte pecunie, et omni alii iuris et legum auxilio quibus posset contra predicta venire, vel aliquod predictorum certiorata prius dicto Pancratio de beneficiis ipsis, sibi spectantibus, per nos iudicem et notarium supradictos, aliosque iuris peritos que sint, et quicquid dicant, et ad maiorem firmitatem omnium predictorum dictus Pancratius sponte et voluntarie ad Sancta Dei Evangelia corporaliter tacto libro iuravit predicto domino Guglielmo predictam omniam et singula, supra et infrascripta, rata et firma, perpetuo habere, tenere, observare et adimplere contra ipsa vel ipsorum aliquid nullatenus veniendo.

Preterea dictus Pancratius dedit nobis predicti iudici, notario et testibus pro nobis, nostrisque in eisdem officiis successoribus, plenam licentiam et liberam potestatem faciendi predictum publicum instrumentum non tantum semel, sed pluries addendo clausulam, vel clausula ad consilium unius vel plurimorum sapientum,

non mutata facti substantia taciturnitate presentia vel absentia ipsius Pancratii, suorumque heredum in hec, et aliqua non obstantis donec de premissis sponte dictum dominum Guglielmum, suosque heredes plenam et perpetuam obtineant roboris firmitatem. Unde ad huius rei testimonium futuram memoriam predictorum domini Guglielmi, suorumque heredum cauthelam factum exinde est presens publicum instrumentum scriptum et subscriptum per manus mei predicti notarii publici, signo meo solito signatum et subscriptione dicti iudicis et subscriptorum testium signis et subscriptionibus roboratum, ipsius Pancratii personibus et rogati. Actum anno, die, mense, loco et inditione premissis. † Ego Ioannes de Theti qui supra iudex civitatis Giracii testor. † Ego Fulco Luciferus testor. † Ego Nicolai de Tarsia testor. † Ego Robertus Luciferus testor. † Ego Thomasius de Silvestro testor. † Ego Thomasius de Apulia testor. † Ego Nicolaus de Stilo testor. † Ego Pantaleo de Cantore canonicus ecclesiae giracensis testor. † Ego Nicolaus tropeanus regius publicus qui supradicto notario presens publicum instrumentum scripsi, et me subscripsi.